


Kind

1770





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-399244-p0002-7

DFG

DE
ORIGINE LITTERARVM CLIENTELARIUM
DISSERIT
ET
VIRO DOCTISSIMO, AMICO SVO SVAVISSIMO
IOANNI FRIDERICO
CLEEMANNO
CHEMNICENS
IPSO D I E
QVO
PUBLICE DISPVTABAT
GRATVLATVR
IOANNES ADAMVS THEOPHILVS KINDIVS
I. VTR. ST.

D. XXII. NOVEMBR. MDCCCLXX.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA

Ita fert seculum nostrum, ut quorum aut patrocinium aut amicitiam magnificamus, solennitatem dierum votis plerumque oratione ligata conceptis celebremus. Quem morem et si adeo non reprehendere ausim, ut etiam, cum ipsa sua vetustate sit venerabilis, magnopere laudandum putem; tamen, cum, *Anice Suauiſſime, T E ipſe ſciam,* quae hac noſtra aetate obtineat congratulandi rationem ſaepiuscule non dicam ſuauiſter riſiſſe, ſed ramen non admodum probaffe, ab illo more, licet a maioribus veſtir manibus traditus hucusque a noſtris hominibus sancte fuerit obſeruatus, recedere non dubitau. Cogitant mihi vero, qua ratione **TIBI**, quae inter nos iamdudum per morum et ſtudiorum ſimilitudinem coaluit amicitiae documentum per ſolennitatem huius diei **T V I** edere poſſem, peroportune in mentem veſtit locus ex historia iuris feodalis *de origine litterarum clientelarum*, quem, quo magis **T E** ut quem maxime harum rerum cognitione delectari ex altercationibus ſaepenumero inter nos ſuper his rebus priuatim institutis, quarum memoria ſemper mihi erit dulcissima, compertus ſum, eo lubentius quantum per angustias temporis et imbecillitatem ingenii doctrinaeque licet, tractandum sumſi, ſpe fretus certiſſima, fore, ut hac mea licet tenui opella idem apud **T E** ac longo et eleganti carmine efficiam.

Iam primum litterarum clientelarium notioni earumque a *breui teſtato* differentiae inhaerendum magnopere non esse puto, cum id vel ii ſciant, qui iuris ſcientiam feodalem tantum in limi-

ne,



ne, vti dicitur, salutarunt. Antequam autem ad rem ipsam accedo, iuuat in causam, cur olim sub primordiis feudorum admodum rarae fuerint litterae clientelares, paucis inquirere. Hodie quidem nullam fere feudi inuestituram sine illis celebrari quis est qui ignorat? Quas quo certius constat saepe multum prodesse, tum ad faciliorem immutatae communis feudorum rationis probationem, cum feudum improprium esse contendens probatio ne eius, quod contra naturam feudi immutatum esse allegat, defungi debeat *II F. 2. §. 2. 3.* tum etiam ad celeriorem causarum feodalium decisionem, cum inter leges feodales, secundum quas lis feodalis sit dirimenda, primum locum occupent (*cf. Illr. Hommelius ad ius feudale Mascouii p. 4.*) eo magis et prudentiori adeo consilio a nostris Vasallis, peracta inuestitura, expetunt litterae clientelares. Quaerenti vero causam, cur illae olim admodum rarae fuerint, praecipua offertur haec, quod inuestiture feudorum coram *Paribus Curiae* et sub dio in conspectu multorum peragerentur. Cum enim beneficia Francorum, introducta sub Conrado Salico successione haereditaria, feudorum naturam induissent, iudicium feudale seu, vti vulgo dicitur, *curredam Parium* ab eodem imperatore institutam fuisse probauit *Bernardus du Haillan in Tr. de l' Etat des affaires de France p. 396.* Hi autem Pares Curiae ideo ad inuestiture actum necessario erant adhibendi, quoniam illa nullis aliis testibus quam *Paribus Curiae* probari potuerit, id quod, vt ex multis aliis vnum tantum locum excitem, luculenter patet ex *I F. 10.* Si contentio fuerit inter dominum et fidelem de inuestitura feudi, per pares Curiae dirimatur: alii enim testes et si idonei sint, admittendi non sunt. Vide *Illr. Mascouii diss. de Paribus Curiae §. XIV.* Evidem et si ita sit; tamen longe absursum ab eorum sententia, qui ob praesentiam *Parium Curiae* in actu inuestiture olim nullas plane litteras clientelares fuisse datas contra fidem historicam et auctoritatem locorum iuris feodalis veluti *II F. 11.* quo praeter pares Curiae et

iam publicum instrumentum ad probationem inuestiturae admittitur, nimis temerario ausu statuant. Cui autem opinionis error causam dedisse videtur mira beneficiorum Francorum cum feudis ipsis confusio, cum tamen haec et si ex illis nata tamen tantum duo diuersa probe esse distinguenda satis demonstrarunt *Geog. Ludov. Boehmerus in obs. iur. feod. obs. 2. de feudis ex Francorum beneficiis enatis. Iac. Gabr. Wolff in diss. de feudorum origine et in dolo sub primis Francorum regibus.* Quemadmodum igitur unus error plures parere solet; sic quoque, qui beneficia Francorum cum feudis ipsis turpiter confundunt, non potuerunt non in alterum aequem grauem errorem incidere, quo olim in feudorum inuestituris nullas litteras fuisse concessas statuant, cum ad beneficiorum diu ante introductorum inuestitaram sero demum accesserint litterae beneficiariae, quarum luculenta exempla exhibet *Celebr. Eftor in libello de inaugurationibus beneficiariis p. 44.* Quid igitur impedit, ut litteras clientelares simul cum feudis ipsis, vbi a Conrado Salico haereditaria fuerant effecta, enatas esse statuamus, licet sub horum initii ob rationem iam supra datum admodum fuerint rarae. In causas vero, cur tractu temporis illae magis magisque frequentatae fuerint, quae est instituti mei breuitas, hic inquirere non lubet, praecipue cum hic *Io. Gottl. Siegel in Tr. de litteris inuestiturarum*, otia fecerit. Iam nemini in recensendis iis, quae tantum quadam veluti cognatione cum hoc argumento nostro coniuncta sunt, expatiemur, ad rem ipsam veniamus, et in litterarum clientelarium originem paulo diligentius meditemur. Ac primum quidem sunt, qui eorum usum seculo demum XII. et quidem Friderico Barbarossa regnante curis feudalibus innotuisse existiment. (*cf. Buder in amoenitatibus iuris feudalis p. 135.*) Quorum vero opinio nullius videtur esse pretii propterea quod qui in aetate codicillorum clientelarium constituenda vterius est, *Illr. Scheidius in Orig. Gvelf. Tom. IV. p. 548.* quaedam ipsorum vestigia iam seculo XI.

de-

deprehendi docuerit. Cui quidem sententiae eximum pondus suffragiis praestantissimorum I^Ctorum Boehmeri et E^Istorii accedit. Et tantorum virorum auctoritati aliud et antiquius documentum litterarum clientelarium opponendi spes mea semper concisa, ut etiam illarum memoriam Henrico IV. antiquiorem cum illis perpetuo negauerim, praecipue cum in tanta rei gratuitate nullus coniecturarum vanitati concedatur locus. Sed in quem nuperime felici quodam fato praeeunte et digitum quasi intendente Praeceptore et Patrono meo summopere colendo D. Carol. Henric. Geistlero in diff. I. de coniunctione Comitum Hol-satiae cum Ducatu Saxoniae §. VI. incidi locum apud Donnizone in vita Mathildis Ducatricis Lib. I. cap. II. Tom. I. Scriptor. Brunf. p. 648. is eiusmodi est, ut nostram sententiam de venustrori harum litterarum vsu mirifice adiuuet. Adscribam ipsa auctoris nostri verba:

*Imperium seruans Conradus eumque gubernans
Cognoscit vere plus cunctis posse valere.
Mirificum, clarum, generosum, saepe relatum
Athletam magnum Bonifacium venerandum,
Ut iuraret ei, rogat ipsum, more fidelis;
Ac ideo dixit, quod Marchia seruit ipsi
Redderet atque vicem iurandi Rex sibi, quippe
Annuit hoc Regi Bonifacius, atque peregit,
Voceque mox viua iuravit Rex sibi vitam,
Atque suos artus, et honorem Principis aptum
Absque dolo recto seruare per omnia semper,
Donec eis vita subsisteret, hoc ita firmant.
Nullus dux unquam meruit tam foedera culta
In charta scriptum iusiurandum fuit illud.*

Certe aut suscep*t* a me consilii egregie me fallit amor, aut clientelares litteras iam sub Conrado Salico datas fuisse demon-

strat l. c. cui paululum immorari lubet, vt si qua forte supersit dubitandi ratio euanescat. Evidem nisi magis de verbis quam de re sit sollicitus, neminem esse putem, cui versiculus

Nullus dux vñquam meruit tam foedera culta

impedimento sit; quo minus nostra sententiae accedere possit. Etsi eorum qui vocabulum *feudum* deducunt a foedere, ideo, quod Vasallus et Dominus inito inter se foedere ad mutuam fidelitatem praestandam se adstringant, non esse probandam opinionem docuit *Illr. Gebauerus in diss. Origines feodi qua vocem qua rem non externas sed Germanicas s. IO.* tamen ut nihil dicam, vocabulo *foedus* nonnunquam vim generalem inesse, adeo ut quam liber inter duas pluresque personas coniunctionem singulari fidelitate munitam, qualis et inter dominum et Vasallum intercedit, denotet, alia l. c. insunt argumenta quae nostram sententiam confirmant, ita, ut nos alieno loco abuti et quasi nubem pro Iunone amplecti minime videamur. Quodsi enim totum Donizonis locum vel leuiter inspexeris, non poteris non nobiscum statuere, ibi sermonem esse de negotio feudali, quo Bonifacius ab Imperatore Conrado Salico Marchionatu donatus fuerit atque inuestitus. Quod quidem non solum exinde, quod l. c. omnia, quae ad constitutionem feodi pertinent, deprehenduntur, sed etiam ex denominatione *fidelis* patet, cum ipse Conradus in *Charta apud Ferdinandum Vchellum Tom. III. Italiae sacrae p. 80.* Bonifacium appellari *fidelissimum Marchionem*, quae nomina natura sua feodalia esse satis constat. Non est h. l. ut quicquam moneam, quo iure Conradus Bonifacium Marchionatu Tusciae inuestire potuerit, cum a Triumuiris celeberrimis *Gundlingio, Hahnio et Mascouio* ius imperii in Florentiam adeo ad liquidum fuerit deductum, ut qui de illo dubitet, omnem fidem historicam eiurasse sit censendus. Qui enim pro perpetua Florentinorum libertate immunitateque ab I. R. G. vindicanda pugnarunt, magis nimio

nimio partium studio aut patriae amore abrepti quam veritatis studio et iustitiae causa ducti id fecisse mihi videntur. Sed e diuerticulo in viam redeamus. Quo certius igitur esse puto, locum e Donnizone adductum agere de inuestitura feudi Marchionatus Tusciae a Conrado Salico facta Bonifacio, eo minus necessarium esse videtur, de litteris super hac inuestitura confectis quicquam addere, cum ultimus versiculus, in quo omne nostrae opinionis praesidium collocamus,

In charta scriptum iuriandum fuit illud

facilis sit ad intelligendum, nec vlla opus habere explicatione videatur. Putasne, *Amice Suauissime*, confectum esse quod volebamus? Tuum erit, de hoc indicare. Res autem omnis redibat eo, vt litterarum inuestiture originem non sub Friderico Barbarossa, aut vt alii sub Henrico IV. sed paulo altius, scilicet sub Conrado Salico esse quaerendam ex loco Donnizonis demonstramus. Ast cur non eas vel ipso Conrado antiquiores esse statuamus, nihil obstat; Licet enim desint documenta forte per incrim a Collectoribus diplomatum omissa; tamen ab illa ad non usum litterarum clientelarum consequentiae filius male ducitur. Sed res salua est. Evidem cum a Conrado Salico demum beneficia Francorum, vt supra iam monuimus, vi Constitutionis, quam praeter alias habet et *Illi. Senckenbergius in corpore iuris feodalium p. 432.* hereditaria effecta in feuda conuersa sint, adeoque hoc demum tempore litterae inuestiture feudorum dari potuerint, earum aetatem ultra Conradi Salici tempora proferendam plane non esse putem. Hinc etsi monumenta litterarum inuestiture ante Conradum Salicum confecta nostram tulerunt aetatem; tamen, cum tantum de inuestitura beneficiorum proprie sic dictorum non autem feudorum agant, ad nostram causam nihil pertinent.

Habes

Habes hic, *Vir Dodissime, Amice Suanissime*, meam de litterarum clientelarum origine sententiam, quam si **TIBI** et praecipue Fratri **TVO** dilectissimo V. C. Patrono meo magnopere colendo probaro, plurimum me consecutum esse putabo. Nos enim solos in hac causa iudices agnosco, non quo aliorum de me meaque opera parum curarem et spernerem iudicia (id enim esset hominis dissoluti) sed quia vos scio in primis aequos opellae meae censores esse futuros, neque in hac scriptione verborum elegantiam, diffusam in auctoribus lectionem, acumen ingenii iudiciique, sed potius animum scribentis spectaturos esse. Neque enim vilam aliam ob causam haec praefatus sum, quam vt **TIBI**, *A. S.* per solennitatem huius diei **TVI**, quo dissertationem iuris civilis *de reciproca cohaeredum substitutione* sub praefidio gravissimi Fratris **TVI** publice defendis, gaudii quod exinde capio, sensum significarem et amicitiae meae **TIBI** aliquod documentum ederem. Scis enim, nostram amicitiam esse plane ex eo genere, vt non possit non alter in societatem eorum venire, quae alteri laeta et ex sententia ceciderint. Gratulor igitur **TIBI** hoc specimen diligentiae et doctrinae, quam hodie in conspectu mulitorum reddidisti conspicuam. Macte esto animi dotibus et doctrina et praemia eruditio nis **TVAE** tot tantisque vigiliis partae accipe. Ceterum **TE** non rogabo, vt mihi etiam in posterum hanc tuam amicitiam conseruare velis. Huius enim vti semper ita et hodie, demandata mihi dissentientis prouincia, tam luculenta edidisti mihi documenta, vt de ea subdubitare nefas putarem. De me autem sic habeto, me semper erga **TE** ita esse gesturum, vt ne ea indignus vnquam reperiatur. Vale.

Hl 740 =

ULB Halle
007 401 248

3




6078

de
b 1
o
o.
m
id
os
o.
n-
le.
m
m
ra-
o,
n-
eo
ae
oc
ul-
ri-
pe.
nc
ta
ta
De
vt



Farbkarte #13

B.I.G.



DE
ERARVM CLIENTELARIVM
ISSERIT
ET
MO, AMICO SVO SVAVISSIMO
FRIDERICO
EEMANNO
CHEMNICENS
P S O D I E
QVO
E DISPVTABAT
RATV LATVR
MVS THEOPHILVS KINDIVS
I. VTR. ST.
NOVEMBR. MDCCCLXX.
LIPSIAE
INA LANGENHEMIA